

**05**

**A**

**1876**









005.

Thema Politicum,  
**HÆRETICI NON  
SUNT OCCIDENDI,**

*Sub auspiciis*

**Sacrofanctæ & Individuæ  
TRINITATIS**

*In celeberrimâ Wittebergensi Academiâ,*

PRÆSIDE

**M. PAULO SPERLINGIO**

Lauchâ-Thuringo, Facultatis Philoso-  
phicæ Adjuncto,


*Respondente*

**JOHANNES Spleiß Ulmensi Svevo,**

*Publicâ disputatione examini  
subjectum*

Die 5. Martij

*In Auditorio PHILOSOPHORVM.*



**WITTEBERGÆ,**

**Excudebat Augustus Boreck, Anno 1625.**





THEMA POLITICUM  
HARRETIION  
SUNT OCCIDENDI

Stetotantes & Individuas

TRINITATIS



6781 A 50

JOHANN NE G... L... S...

Die 7. Martij

In Anstalt P... S... H... K...

WITTEBERG

Excudebat Augustus Bock, Anno 1812







# DEMONSTRATIO

## Quod Hæretici non sint occidendi.

### Thesis I.

**H**istoria Tripartita lib. 12. cap. 4. refert Theodosium Juniores Romanum Imperatorem à Nestorio in primâ sua ad Archiepiscopatum Constantinopolitanum inauguratione ita fuisse sollicitatum: *Da mihi ô Imperator terram ab hæreticis liberam, & ego tibi cælum reddam: Tu mihi hæreticos extirpa, & ego Persis delendis adero.* Quæ sane vox non hominis fuit, sed bovis, non Christi, sed AntiChristi, non Theologi sed Matæologi, utpote crudelissima, impiissima, hæreticissima. Omnem enim mansuetudinem Christianam pessundat, jus divinum & humanum violat, totamque Theologiam in horrendam carnificinam transmutat.

### II.

Unicè autem optandum esset ne isthæc vox etiamnum inter homines audiretur! Sed, prò dolor, nulla frequentius editur, nulla magis repetitur, præsertim ab illis qui Romani AntiChristi ubera sugunt; à Pontificijs: quique se calvæ cohortis religiosos jactant; à Calvinianis. Isti enim uno ferè ore *hæreticos esse interficiendos*, non modo approbant, sed & Magistratum ad id instigant.

### III.

Equidem Pontificios quod attinet, hi ex toto in tyrannicas istas voces, *Hæretici sunt occidendi*, prorumpunt, hancq; sanguinariam suam opinionem tum dictis, tum factis, ceu regulam exemplis illustrent atque confirmant.

Pontificij  
hæreticos  
esse occi-  
dendos  
statuunt.

A 2

I. Dictis,



I. *Dictis.*

I. *Dictis* dicimus. Siquidem quicumque ex illis de hoc the-  
mate vel ex professo scripsere, vel id obiter saltem tetigere, isti  
omnes, *hereticos ad restim, ad gladios, ad furcam, ad ignem esse abri-*  
*piendos, unanimi consensu profitentur, idque instar Articuli fi-*  
*dei in Ecclesia Romanâ haberi confitentur. Et ne quis nos hac*  
*in parte ipsis aliquid affingere existimet, ex innumerâ ejusmodi*  
*scriptorum catervâ, unum atq; alterum producamus, ipsaque*  
*verba formalia apponamus, ut ita omnem suspicionem à nobis*  
*amoveamus.*

V.

Prodeat nunc Romanensium primipilus *de Equo* & Bellarmi-  
nus, qui lib. 3. de Laicis cap. 21. ita scribit: *Johannes Huss art. 14. in*  
*Concilio Constantiensi Sess. 15. recitato, asseruit, non licere hereti-*  
*cum incorrigibilem tradere seculari potestati, & permittere comburen-*  
*dum. Idem Lutherus in art. 33. & in assertionem ejusdem. Nec novus*  
*est error. Nam etiam Donatista olim ita docuerunt &c. Contrarium do-*  
*cent omnes Catholici &c. Et post pauca. Nos igitur breviter ostende-*  
*mus, hereticos incorrigibiles, ac praesertim relapsos, posse ac debere ab*  
*Ecclesia rejici, & à secularibus potestatibus, temporalibus poenis, atq; ipsa*  
*etiam morte mulctari.*

VI.

*Johannes Malderus de Virtutib. Theolog. Quaest. 11. Artic. 3.*  
*Membr. 1. Sit nostra, inquit, propositio ex D. Thoma; Si heretici mor-*  
*te plectantur, non est id contra Domini mandatum, imo rectissime relin-*  
*quit Ecclesia hereticos incorrigibiles justo judicio Magistratus occiden-*  
*dos. Quam suam propositionem postmodum quatuor probat ar-*  
*gumentis. pag. 148. seqq.*

VII.

*Johannes Viguerius in Institut. Theolog. Colon. Agripp. an-*  
*no 1607. impressis, pag. 294. Heretici autem eò quod fidem manifeste*  
*susceperunt, quamvis secundum eorum opinionem sint tolerandi: Com-*  
*pellendi tamen sunt per Ecclesiam. Et si restiterint aut converti nolue-*  
*runt, sunt brachio seculari tradendi, & per consequens comburendi. Et*  
*paulo post. Heretici ex quo de haeresi convincuntur, possunt non solum*  
*juste excommunicari, sed etiam per justitiam temporalem occidi.*

Johan-



## VIII.

Johannes Maldonatus Tom. I. Commentar. in 4. Evang. Comment. in Matth. cap. 13. pag. 253. *Qui hereticos tollendos esse negant, multo magis fures, multo magis homicidas tollendos esse negare debent.* Et Tom. II. Commentar. Comment. in Luc. cap. 9. pag. 184. *Cum opus est, & ferro de terra & igne de caelo tuenda est & conservanda religio, occidendi invadentes in Ecclesiam Turcae, comburendi tanquam proditores & transfuga discedentes haeretici. Nec ulla belli justior esse potest causa, quam ut religioni professio defendatur. Nulla res aut tam injustis armis propagari, aut tam justis defendi potest.*

## IX.

Cornelius Jansonius Commentar. in suam Concordant. part. II. cap. 52. pag. 338. *Non magis ex hoc loco colligi potest hereticos non occidendos, quam fures, homicidas, & id genus homines, quos nemo negaverit jure, & pro utilitate reipublicae occidi. Nec id intelligendum est hoc loco prohibitum esse.*

## X.

Nicolaus Gorranus Commentar. in 4. Evang. Enarrat. in cap. 13. Matth. pag. 124. *Jam patet quod haeretici notorii, qui alios nituntur ad malum trahere; debent ab Ecclesia praecidi utroque gladio, ut membrum putridum alia non corrumpat.*

## XI.

Cornelius à Lapide in Comment. super cap. 3. Epistol. ad Tit. pag. 890. *Non Theologorum inscitia, sed Regum & Imperatorum decreta haeticos ad rogam condempnant.*

## XII.

Martinus Delrio lib. 5. Disquisit. Magicar. Sect. 2. pag. 370. *Ubicunq; locorum reperiantur [haeretici] possunt à loci judice puniri [occidi] ex communi sententiae praxi recepta.*

## XIII.

Gregorius Tholoanus lib. 12. de Republic. cap. 4. Sect. 10. *Si haeretici contemptis censuris Ecclesiasticis noluerint satisfacere, addenda erant poena legum secularium, & cum gladio spirituali temporalis jungendus erit.*

## XIV.

Lipsius lib. 4. Polit. cap. 2. *Serio, serio hoc imbuere, nihil esse in rebus humanis religione praestantius, eamq; summam vi debere defendi. Puni*



*igitur si quis turbat, clementia hic non est locus. Ure, seca ut membrum potius quam totum corpus intereat.*

XV.

Similia proferunt *Thomas 2. 2. quæst. 11. art. 3. Gregorius de Valent. Tom. 3. disput. 1. quæst. 11. punct. 3. Ribera in Comment. super cap. 13. Zachariæ pag. 751. Alexander Pesantius in Comment. in 2. 2. D. Thom. Quæst. 11. de hæres. art. 3. pag. 531. & Disput. 1. pag. 532. 533 Costerus in Enchirid. cap. 2. pag. 97. 98. Majerhoferus in Specul. Prædicant. pag. 54. Johannes Tytz in Lexico Theolog. pag. 377. Vindeck in Prognost. pag. 117. 232. 249. 408. & alij quàm pluri-  
mimi quos Commentarios in Summam Thomæ conscripsisse no-  
vimus.*

XVI.

*Hasenmüllerus in Histor. Ordinis Jesuit. cap. 1. pag. 12. & 13. refert Jacobum Crusium Jesuitam & Novitiorum Jesuitarum Landspergæ Rectorem anno 1584. in regularum explicatione talia protulisse verba: Miles esse debuit nostræ societatis Pater. Quia ut militis est totis viribus in hostem irruere, nec desistere donec victor evadat: ita nostrum est in omnes irruere qui Papæ Romano resistunt, illosq; consilijs, dictis & scriptis, invocato etiam (ut loquuntur) brachio seculari, hoc est, igne & ferro tollere & abolere. Sicuti Pontifex & nostra vota contra Lutheranos suscepta volunt & mandant.*

XVII.

2. Factis.

*II. Factis quoq; Pontificios, hereticos esse occidendos, demonstrare asserimus; idque haud immerito. Satis enim ipsorum praxin ex historiarum monumentis cognitam atque perspectam habemus. Modò quis superiorum temporum historias evolvat, & inveniet innumerum hominum ab hæreticæ pravitatis inquisitoribus, solius religionis causa, crudeliter in Hispania mactatorum copiam: inveniet intra duorum & viginti annorum spacium, nempe initio sumto, ab anno sesqui millesimo secundo, ad annum usque octuagesimum quartum quadraginta centum millia variis tormentorum generibus in Gallia trucidata: Inveniet Ferdinandum Alvaretz Ducem Albarum paucis annis octodecim millia hominum utriusque sexus clanculum & palam in Belgio furialibus carnificinis sustulisse.*

Et



XIIX.

Et quid hac nostra ætate in Bohemia, Moravia, Austria &c. sit factum, imò quid indies ibi fieri magno cum dolore experimur; non opus est ut multis referamus; Verbo saltem dicamus: *Papiani toti eò laborant, ut Lutherani tanquam hæretici, ferro & igne tollantur; & ut cum Poëta dicit:*

*Vi procerum suppleant cum verba probantia desunt,  
Textaq; cum debent solvere. vincla, ligant.*

XIX.

Cæterum cum Pontificiis Calvinianos hac in causa tanquam *ὁμοψήφους* conjungimus. Siquidem & hi de hæreticis capitale supplicium decernunt. Sic enim Zanchius Tom.2. Miscell. Loco de Magistrat. scribit: *Omnes ferè ex nostratibus sunt hujus sententie quod hæretici sint gladio puniendi.*

*Calviniani cum Pontificiis sese hac in parte conjungunt.*

XX.

Beza in lib. contra Wilhelmum Holderum & Jacobum Andreæ Anno 1581. edito. pag. 121. *Docemus, inquit, pijs & verè Christianis Magistratibus præcipue dandam esse operam, ut purus & sincerus Dei cultus vigent, ejusq; perturbatores, ut res postulat, autoritate sua legitime judicatos capitali quoq; pœna, si necessitas & sceleris magnitudo postulent, coerceant potius, quam Ecclesia detrimentum capiat. Idem Beza in quadam Epistola scripsit: Sibi videri consultum ut capitale supplicium sumatur ab hæreticis etiam post revocatam hæresin & erroris agnitionem.*

XXI.

Perkinsus in Catholico reformato controversiâ 21. cap. 2. pag. 367. ait: *Quod quidam Pontificiorum in Anglia occiduntur, id non fit propter religionem, quamvis hæc causa justa sit. Deut. 13. 5. Sed quia excitant turbas & seditiones.*

XXII.

Idem statuunt Bucanus in Instit. Theol. Loc. 49. qn. 34. pa. 865. Bullingerus Conc. 18. pa. 89. Aretius in Historia Valentini Gentilis. Danaus in Ethic. Christ. lib. 2. cap. 13. pag. 185. Zepperus de Legib. Mosaic. lib. 4. cap. 3. Franciscus Junius in defens. 2. de S. Trinitate Heidelbergæ edita anno 1591. quem sequuntur & probant *Hernbornenses* in notis ad exposit. Cateches. pag. 147. & seqq.

Quia



## XXIII.

Quin *Lucas Osiander* recenset in Responso ad Apologiam Heidelbergensium pag. 64. Calvinianum quendam Ecclesiasten dixisse, *Se, Romanus Imperator si foret, omnes interfectorum, qui suam religionem non amplecterentur.* Idem refert pag. 65. Conclavi Johannis Casimiri & valvis templi adscriptum fuisse hoc sanguinarium distichon:

O Casimire potens servos expelle Lutheri,  
Ense, rota, ponto, funibus, igne neca.

## XXIV.

Hinc *Costerus* in Apolog. contra Somar. part. 3. pag. 548. Calvinianis objicit, quod frustra conquerantur de tyrannide Pontificiorum, cum ipsimet censeant Pontificios esse occidendos, quorum non paucos religionis gratiâ occiderint.

## XXV.

Atque hæc est tum Pontificiorum tum Calvinianorum in proposito themate sententia; quam verò nos cum quibusvis bonis ut sanguinariam & Christianæ mansuetudini contrariam non immeritò damnamus, utpote quibus valde displicet, si in quenquam, licet hæreticum, usque ad mortem sæviatur. Quapropter quando quæritur *An hæretici capitali supplicio à Magistratu Politico sint afficiendi*, disertè negativam tenemus, non quidem in hæreticorum feritatis, sed orthodoxorum veritatis patrocinium, citra omnem vel *Anabaptismum* vel *Arianismum*.

Orthodoxi contra-  
rium statuunt.

## XXVI.

Quod dum faciunt  
Questionis statum recte formant.

Ne autem hic aliquis sibi tortuosas ambiguitates otiosè fingat, vel statum quæstionis ut minus rectè formatum malitiosè reprehendat, notandum est, quæstionem 1. non esse; *An Magistratui liceat hæreticos coërcere, & in eos animadvertere*, hoc enim ultrò datur. 2. Neque esse *de seductis*: hos enim à falsis doctoribus deceptos, & ex ignorantia infirmitateque errantes summâ potius commiseratione, quàm ejusmodi dura animadversione, dignos censemus. 3. Nec esse *de Magistratu Veteris Testamenti Judaico, an his licuerit hæreticos interimere, sed de Magistratu Novi Testa-*



807.

*Testamenti Christiano. 4. Neq; esse de seditiosis & blasphemis, qui subditos adversus Magistratum instigant & horrendas in Deum blasphemias eruçant: hos enim ob cruentas seditiones & manifestas blasphemias capitali supplicio esse afficiendos asseveramus. Sed 5. demum quæstionem esse de simplicibus hereticis, qui ab ejusmodi capitalibus delictis sunt immunes, quique desiniuntur, quod sint personæ in Ecclesiæ gremio constitutæ, doctrinam falsam, fundamento fidei contrariam, non sine malitia, & magno Ecclesiæ scandalo pertinaciter defendentes.*

XXVII.

*De talibus, inquam, personis quæritur, An contra eas propter solam & unicam falsi dogmatis propugnationem gladius à Magistratu stringi debeat. Id quod supra citati & Papani & Calviniani affirmant; nos autem negamus sequentibus moti argumentis.*

XXIX.

**I. Suppeditat Prophetorum vaticiniorum infallibilitas.** *Hæc enim expressè docent quod Novi Testamenti Ecclesia Evangelii doctrinam sine cæde & sanguine sit propagatura. Talia leguntur Esa. 2. v. 4. Judicabit Messias [inquit Propheta] gentes & arguet populos multos; & constabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces; non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium. Cap. II. v. 7. Habitat lupus cum agno; & pardus cum hædo accubabit, vitulus, & leo, & ovis simul commorabuntur &c. v. 9. Non nocebunt & non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini. Idem repetitur cap. 65. v. 25. Et simile habetur Zachar. 9. v. 10. Disperdam quadrigam ex Ephraim, & equum de Jerusalem, & dissipabitur arcus belli & loquetur pacem gentibus.*

*Postmodum suam sententiam probant. I. A Prophetorum vaticiniorum infallibilitate.*

XXIX.

*Hæc vaticinia omniâ in genere quidem de amicâ Ecclesiæ pace, mutuâque civium Republicæ Christianæ concordiam lo-*

B

quun-



quuntur, *in specie* tamen simul Ecclesiam propagandi modum includunt, qui nimirum ab omni crudelitate, sanguinisque effusione sit alienus. Quandoquidem praedicitur, quod Messias iudicaturus sit sine gladio & lancea, quodque ex Ecclesia Novi Testamenti omnis tyrannica occidendi potestas sit releganda: atque sic manifesta oppositio inter Vetus & Novum Testamentum subinuitur. Ibi enim vi externae & corporali religio propagabatur, gentes Cananaeae idololatricae excindebantur, Pseudoprophetae occidebantur: sed de Novo Testamento Prophetae vaticinantur, quod religio Christiana sine caede & sanguine propagari debeat. Exinde itaque duplex nectimus argumentum:

XXX.

1. Si Messias in Ecclesia Novi Testamenti sine gladio atque lancea populos iudicat, omnisque tyrannica occidendi potestas ab illa abesse debet, sequitur quod haeretici capitali supplicio non sint afficiendi. Sed vi allegatorum testimoniorum verum est prius. Ergo & posterius.

XXXI.

2. In quocumque Novum Testamentum Veteri opponitur, in eo *illi* cum *isto* nullae datur harmonia. Atqui in doctrinae propagatione atque haeticorum punitione per caedes sanguinisque effusionem Novum Testamentum Veteri opponitur. Ergo in hoc ipso *illi* cum *isto* nulla datur harmonia: Et per consequens neque doctrinam Evangelii per vim externam propagare, neque in haeticos capitaliter animadvertere licet.

XXXII.

2. A Christi & Apostolorum autoritate.

II. Christi & Apostolorum autoritas. Istorum enim sive *salutares Conciones*, sive *peculiares Actiones* consideres, nullibi haeticos esse interficiendos invenies. Equidem.

XXXIII.

I. *Conciones* quod attinet; *Christus* Evangelium lingua non pugnata, chartis non lacertis, argumentis non armamentis, atramento non ferramento propugnare iussit. Matth. 28. v. 19. Pseudopro-



000  
doprophetas caveri non interfici mandavit. Matth. 7. v. 15. Ci-  
vitates Evangelium non recipientes deserere non deleri præcepit.  
Matt. 10. v. 14. Zizania non eradicari sed relinqui voluit. Matth.  
13. v. 28. 29. 30.

#### XXXIV.

Sic quoque *Apostoli* nullibi tradiderunt hæreticos è vita ef-  
se tollendos, aut Magistratui ut eos occideret, tradendos: Sed  
jusserunt nos [1.] hæreticos fugere 1. Cor. 5. v. 10. 11. 1. Tim. 6. v. 5.  
Tit. 3. v. 10. 2. Joh. 1. v. 10. [2.] Eisdem refutare, corripere & gra-  
viter admonere. 2. Tim. 4. v. 2. 5. Tit. 2. v. 9. 16. [3.] Non carnali-  
bus armis contra illos pugnare. 2. Cor. 10. v. 4. [4.] Spiritus pro-  
bare, nec facile cuivis credere. 1. Joh. 4. 5. 1. Thess. 5. v. 21. [5.] Vi-  
gilare ne vel nos ipsi, vel alii seducantur. Act. 20. v. 30. 31. Rom.  
16. v. 17. Philip. 3. v. 20. Hebr. 13. v. 9. & alibi.

#### XXXV.

Ex quibus omnibus tale formamus argumentum: Quem  
modum agendi cum hæreticis neque Christus neque ipsius A-  
postoli præscripserunt, sed potius improbarunt ab illo Christia-  
ni in Novo Testamento omnes abstinere tenentur. Atqui mo-  
dum agendi cum hæreticis per supplicia capitalia neque Chri-  
stus neque ipsius Apostoli præscripserunt, sed potius improba-  
runt, ut hætenus ostensum. Ergo à modo illo Christiani in  
Novo Testamento omnes abstinere tenentur.

#### XXXVI.

II. *Actiones* quod concernit & istæ hæreticos non esse cor-  
porali gladio puniendos evincunt. Nunquam enim *Salvator no-*  
*ster* aliquam ob hæresin vel capitali supplicio affecit, vel bra-  
chio seculari interficiendum tradidit. Ardentissimo quidem  
gloriæ Dei veritatisque cœlestis Zelo flagravit, scribas hetero-  
doxos filios gehennæ & diaboli nominavit, Matth. 23. v. 13. Jo-  
han. 8. v. 44. sed corporalem pœnam ipsis nullam imposuit, quin  
potius homines, quamvis hæreticos, ab ejusmodi vi externa  
sæpius vindicavit. Nam cum aliquando *Dominus* à Samarita-  
nis hospitium peteret, hique illi hospitii jus recusarent, Jacobus  
& Johannes indignatione commoti à Christo quærebant, Do-



mine vis dicamus, ut ignis descendat de celo & consumat illos, quemadmodum & Elias fecit? Luc. 9. v. 54. Christus autem conversus per gravem correctionem ipsis respondet: Nescitis cujus Spiritus vos estis? Filius hominis non venit perdere animas sed salvare. vers. 55. 56. Hinc duplex resultat argumentum.

### XXXVII.

1. Quicumque Samaritanos propter diversitatem religionis igne cœlitus depluto consumi prohibet, suosque discipulos à rigore Veteris Testamenti, & exemplo Eliæ ad Spiritus Evangelici & Novi Testamenti mansuetudinem revocat, is etiam prohibet hæreticos gladio excindi, insimulque innuit ex praxi Veteris Testamenti non posse nec debere inferri; hæreticos in Novo Testamento esse interficiendos. Atqui Christus Samaritanos propter diversitatem religionis igne cœlitus depluto consumi prohibet, suosque discipulos à rigore Veteris Testamenti & exemplo Eliæ ad Spiritus Evangelici, & Novi Testamenti mansuetudinem revocat. Ergo is etiam prohibet hæreticos gladio excindi, insimulque innuit ex praxi Veteris Testamenti non posse nec debere inferri, hæreticos in Novo Testamento esse interficiendos.

### XXXVIII.

2. Si Christus ideo noluit Samaritanos igne cœlitus evocato à discipulis perdi, quia *discipuli essent sui filij*, ipseque non ad perdendum, sed ad salvandum venisset, sequitur nec à reliquo Christi populo in Novo Testamento hæreticos esse interficiendos. Sed verum est prius. Ergo & posterius.

### XXXIX.

Similiratione neque *Apostoli* aliquem ob religionis diversitatem vel occiderunt, vel ab aliis occidi voluerunt. Nullum enim hujus rei in Scripturis Sacris occurrit exemplum. Hoc autem in illis habetur, quod Apostoli hæreticos, (quando ultimam illis imponere voluerunt pœnam) excommunicarint, seu communionem privarint. Nam cum Hymenæus & Alexander circa fidem naufragium fecissent, Paulus eos Satanæ tradidit. 1. Tim. 1. v. 20. quâ phrasi excommunicationem innui patet ex

1. Cor. 5.



1. Cor. 5. v. 5. non autem interfici voluit. Hunc igitur in modum  
argumentamur:

XL.

Quicumque modus puniendi hæreticos ab Apostolis planè  
est intermissus, ille etiam à Christianis in Novo Testamento de-  
bet intermitteri. Atqui, modus puniendi hæreticos per capitalia  
supplicia ab Apostolis planè fuit intermissus. Ergo modus iste  
etiam à Christianis in Novo Testamento debet intermitteri.

XLI.

III. **Juris naturalis sanctitas.** Hoc nihil magis  
quàm humanæ societatis conservationem requirit, & quod dum  
facit, sanguinolentas hæreticorum interneciones non concedit.  
Nam societas humana consistere non potest. Si inter tot reli-  
giones diversas, quarum altera alteram pro hæretica habet, tur-  
bulentæ persecutiones, cruentæque occisiones grassantur. Bre-  
vi enim fiet ut omnium sectarum homines apud eos qui Sectæ  
sunt alterius interficiantur. Ita, inquam fiet, ut Calviniani in  
Gallia, atque Papani in Hispania & Italia, Lutherani à Zwing-  
lianis, & à Lutheranis Zwingliani, & ab omnibus Anabapti-  
stæ, & omnes ab Anabaptistis necentur, nec ullus occisionum  
erit finis, donec omnes mutuis vulneribus conciderimus. Quo  
ex fundamento olim *Antonius Pius Imperator Ethnicus* quempiam  
propter religionis & cultus diversitatem occidere injustum  
censuit, referente *D. Pappo* in *Epit. Hist. Eccles.* pag. 57. & 175.  
quapropter tale edictum promulgavit: *Si quispiam cuiq; Christia-  
no, quia Christianus sit, pergat molestiæ quicquam aut criminis inferre;  
ille cui crimen illatum erit, etiamsi re ipsa Christianus deprehensus sit,  
absolvatur: Qui autem illum accusaverit, justum debitumq; supplicium  
subeat.* Syllogismus inde fuit hujusmodi:

3. A Juris  
naturalis  
sanctita-  
te.

XLII.

Omnis pœna quæ cum jure naturali non convenit est  
injusta.

Atqui Occisio hæreticorum est talis pœna quæ cum  
jure naturali non convenit.

Ergo est injusta.

B 3

IV. Fi



4. A Fidei proprietate.

IV. Fidei proprietas.

Fides sponte suscipi debet. Est enim res libera, non necessitatis sed voluntatis, ut scribit Ambrosius in 2. Cor. 1. ideoque ad illam nemo potest cogi. Fides ex persuasionem oritur: Ast armis & suppliciis homines persuaderi nequeunt, sed docendo, monendo, argumentis & testimoniis, quæ paulatim ad assensum illiciunt. Et hæc est hominum infirma natura, ut ad aliquid assentiendum sponte velit duci non cogi. Quis enim quæso alicui necessitatem vel credendi quod nolit, vel non credendi quod velit imponat? Nullus Rex, nullus Princeps, nullus Magistratus efficere potest ut quicquam præter animi sententiam agamus. Quam ob causam liberum religionis exercitium concessere, Constantinus Imperator, Arianus licet. Theodoret. lib. 2. Hist. Eccl. cap. 12. Antonius Aurelius Imperator quamvis Ethnicus. Euseb. lib. 4. cap. 13. Gratianus Imperator Socrat. lib. 5. cap. 4. Hinc talem conficimus Syllogismum:

XLIV.

Quicumque modus agendi cum hæreticis est contra fidei naturam atque proprietatem, ille à Christianis non debet usurpari.

Atqui modus agendi cum hæreticis per supplicia capitalia est contra fidei naturam atque proprietatem.

Ergo à Christianis non debet usurpari.

XLV.

5. Ab Ecclesia lenitate.

V. Ecclesiæ lenitas.

Hæc nulla vi armatâ ab initio erecta, sed mansuetudine ædificata fuit, nullo armorum præsidio etiamnum stat, sed lenitate multum gaudet, nullis suppliciis præfractos suum in obsequium compellit, sed doctrina omnes allicere tentat. Nullum enim sanguinem sitit, quia Sponsus ejus est agnus. Unde Augustinus Epistola 160. scribit: Alia causa est provinciæ; alia est Ecclesiæ: illius terribiliter gerenda est administratio; hujus clementer commendaenda est mansuetudo. Argumentamur itaque:

XLVI.

Quicquid cum Ecclesiæ mansuetudine pugnat ab eo merito abstinendum.

Atqui





Atqui hæreticorum interfectio cum Ecclesiæ mansuetudine pugnat.

Ergo meritò ab ea abstinendum.

XLVII.

**VI. Culpæ & pœnæ disparitas.** Semper inter culpam & pœnam aliqua sit proportio necesse est, si isthæc justa esse debet. Nam si supplicium sua gravitate prorsus excedit vitium, protinus justitia distributiva violatur, illudq; injustum pronunciatur. Jam autem inter *hæresin* & *occisionem* nulla datur proportio. *Hæresis* enim est delictum spirituale, in errore mentis consistens, quod publicam humanæ societatis tranquillitatem per se non evertit, nisi seditio adversus Magistratum interveniat. *Occisio* verò est pœna corporalis, quæ non nisi corporalibus vitiis debetur. Quî igitur hæresis capitaliter puniri potest? Syllogismus inde oritur talis:

6. A culpa  
& pœnæ  
disparitate.

XLIX.

Pœna cum culpa non quadrans est injusta.

Atqui Occisio hæreticorum est pœna cum culpa non quadrans.

Ergo occisio hæreticorum est injusta.

XLIIX.

**VII. Hæreticorum & AntiChristi proprietates.**

Istorum proprium est dissentientes undique extirpare, inque eos usque ad sanguinem savire. Nam Arianus, Donatistæ, Eutichiani & alii orthodoxos summa crudelitate sunt persecuti. Eudoxus Arianus Imperatorem Valentem Arianum ad Arianæ hæreseos defensionem, & diversum statuentium extirpationem, per gladium & quævis tormenta, juramento obstrinxit. Dioscorus Orthodoxos Episcopos ad Eutichianismi subscriptionem stipatis militibus coëgit. Mahomet in suo Alcorano omnes interfici mandat, qui suæ legi obedire & religioni subscribere recusant.

7. Ab Hæreticorum  
& AntiChristi  
proprietate.

L.

Atque sic etiam de AntiChristo sub Antiochi typo vaticinatur Daniel. cap. 8. v. 24. *Intersiciet robustos & populum sanctorum,*  
secun-

impA



secundum voluntatem suam. cap. ii. v. 41. multi corruent. v. 44. interficiet plurimos. Apocal. ii. v. 7. dicitur: Bestia faciet adversus testes Dei bellum, & vincet illos, & occidet eos. Cap. 13. v. 15. faciet, ut, quicumque non adoraverint imaginem bestie, occidantur. cap. 17. v. 6. Vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine Martyrum Jesu. Quæ sanè omnia de crudelitate atque tyrannide ab AntiChristo illo magno expectandâ loquuntur. Quocirca argumentamur:

LI.

Quicquid est hæreticum & AntiChristianum ab eo Ecclesia Christiana abstinere debet.

Atqui in hæreticos usque ad sanguinem sævire est hæreticum atque AntiChristianum.

Ergo ab hoc Ecclesia Christiana abstinere debet.

LII.

8. Ab Incommodorum multiplici-  
tate.

VIII. Incommodorum multiplicitas. Nam cruentis illis hæreticorum persecutionibus: 1. Multis conversionis tempus & occasio præripitur, quia non pauci ex hæreticis converti potuissent, si non tam crudeliter sublatis fuissent. 2. Multi innocentes sub prætextu inquisitionis in hæreticam pravitatem abripiuntur & præter omne meritum capitali supplicio afficiuntur, ut ex historia lanienæ Parisiensis, & Inquisitionis Hispanicæ abundè constat. 3. Sæpillimè sævitur in eos de quibus nondum certum est, an verè & propriè loquendo sint hæretici. Nam ad hæretici propriè sic dicti constitutionem hoc etiam pertinet ut sit *αὐτοκαταπέρας*. Nemo autem exactè novit an ex infirmitate, an verò ex malitia, contra internum conscientie testimonium erret. 4. Exitialia bella, perniciosæ seditiones, variaeque cædes excitantur, velut exempla Arianorum in Oriente, Vandalorum in Africa, Gothorum in Italia &c. testantur. 5. AntiChristus contra nos ipsos armatur, cujus proprium est, ense, rota, ponto, funibus atq; igne adversus eos sævire qui justam ab ipso fecerunt secessionem. Plura incommoda brevitatis causa jam tacemus ita argumentantes:

LIII.

Quicquid in se & ex se multa eaque funestissima parit incommoda, ab eo meritò est abstinendum.

Atqui



Atqui cruentæ hæreticorum persecutiones in se & ex se  
multa eaque funestissima pariunt incommoda.  
Ergo ab illis meritò est abstinendum.

LIV.

**IX. Patrum conformitas.** In hoc, quod hæreti- 9. A Pa-  
corum pœna usque ad capitale supplicium non sit extendenda, *trum con-*  
totum venerandum & ex Scriptura Sacra benè edoctum Pa- *formitate.*  
trum chorum consentire deprehendimus. Nos hac vice pro-  
pter chartæ angustiam unum duntaxat atque alterum ex illis vi-  
debimus. Augustinus cap. 50. lib. 3. contra Crescovium Gramm.  
ita orditur: *Nulli bonis in Catholica hoc placet, si usq; ad mortem in-*  
*quenquam, licet hæreticum, se viatur.* Et in Epist. 127. ad Donatum  
Africæ Proconsulem de Donatistis scribit: *Corrigi eos cupimus,*  
*non necari.* Et in ox: *Ne tibi vile sit & contemtibile, quod nos rogamus,*  
*ne occidantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur.* Et paulò  
post: *Etiã occidi ab illis eligemus, quàm eos occidendos vestris judicijs*  
*ingeramus.* Chrysostomus homil. 47. in Matth. cap. 13. *Non pro-*  
*hibet, inquit, Dominus Conciliabula hæreticorum dissipare, ora obstrue-*  
*re, libertatem loquendi concidere, verum prohibet interficere ac trucidare.*  
Idem in Serm. de Anathem. *Oro vos ne hæc verba vobis mente*  
*excident: Dogmata impia, & quæ ab hæreticis profecta sunt, arguere*  
*oportet & anathematizare, hominibus autem parcendum & pro salute*  
*ipsorum orandum.* Hieronymus in Præfat. lib. 4. Comment. in  
Esaïam: *Superbissimam hæresin spiritali mucrone truncemus.* Arnob.  
lib. 1. contra gentes pag. 14. *Christi magisterio & legibus accepimus*  
*nostrum potius fundere, quàm alieno polluere manus & conscientiam*  
*cruore &c.* Hinc hujusmodi formandi argumenti occasionem  
sumimus:

LV.

Quodcunque totus venerandus & ex Scriptura Sacra benè  
edoctus Patrum chorus improbat, id meritò est im-  
probandum.

Atqui sangvinarias hæreticorum persecutiones totus ve-  
nerandus & ex Scriptura Sacra bene edoctus Patrum  
chorus improbat.

Ergo sangvinariæ hæreticorum persecutiones meritò sunt  
improbandæ.

C

X. Eccle-



10. Ab Ec-  
clesia pri-  
mitive  
Praxi.

**X. Ecclesiae primitivae Praxis.** Hæc enim quoniam tantæ est apud Pontificios autoritatis, ut ne tantillum quidem ab ea recedere liceat, merito illam adversus eos imprimis urgere possumus. Notum autem est ex historia Ecclesiastica quod primitiva Ecclesia neminem ob solam hæresin, mentisque errorem neci tradidit, uti hujus rei innumera extant documenta. Arius, Eusebius & Theognides in exilium fuerunt depulsi. Socrat. lib. 1. hist. Eccles. cap. 5. Quæ pœna etiam Apollinari & Nestorio ab Imperatore fuit inflicta. Niceph. li. 8. hist. Eccl. c. 43. Constantinus Magnus Novatianos, Valentinianos, Marcionitas, Paulianos, & Cataphrygas proscripsit, uti refert Eusebius lib. 3. de Vita Constantini cap. 62. Idem Imperator laudabilem quoque de religionis libertate constitutionem publicavit, quam Eusebius lib. 10. hist. Eccles. cap. 5. hisce verbis commemorat: *Istam nostram voluntatem & sententiam rectâ ratione & consilio decidimus, ut nemini prorsus libertas negetur Christianorum observantiam & cultum imitandi amplexandiq; & cuiq; detur copia suam mentem ei religioni addicendi quam ipse sibi maxime convenire censuerit.* Quæ omnia adeò manifesta sunt ut etiam Bellarminus nobis hac in parte suum adjicere calculum coactus fuerit. Sic enim lib. 3. de Laicis cap. ult. Arg. 16. *Ecclesia, inquit, experta est omnes alias rationes antequam ad ultimum supplicium inferendum adduci posset. Nam initio solum excommunicabat; deinde videns hoc non sufficere addidit pœnam pecuniariam, tum amissionem bonorum omnium; postea exilium; tandem hoc devenit, ut satis patet ex varijs legibus antiquorum Imperatorum.* Hactenus ille. Tale igitur formamus argumentum, :

## LVII.

Si in primitiva Ecclesia modus agendi cum hæreticis per capitalia supplicia neque usitatus, neque ab eadem approbatus fuit, sequitur quod neque in hodierna usurpari & approbari debeat.

Sed verum est prius. Ergo & posterius.

## LVIII.

Quod si etiam colophonis loco Conciliorum autoritate hæc in parte pugnandum, protinus evicimus, Nullum enim ex antiqua-



802.


quitate proferri potest *Concilium* in quo decretum fuerit *hereticos* *brachio seculari tradendos, ab eorum interficiendos esse.* Primum hoc *Synodus Constantiensis* Anno 1415. attentavit, quando *Johannem Hus* & *Hieronymum Pragensem* contra datam ab *Imperatore Sigismundo* fidem propter crimen hæreseos ipsis intentatum flammis adjudicavit. Quatuor illa potiora *Oecumenica Concilia, Nicaenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense* longè alium cum ejusmodi hominibus agendi modum observarunt, aliisque observandum commendarunt. Qui sanè fusiùs recenseri, & contra adversarios fortiùs urgeri posset nisi *Instituti ratio thesiumq; accretio* nobis hîc subsistere persuaderent, persuadendoque præciperent: qua in re si ipsis obsecundamus, nos operæ precium facturos existimamus. Quapropter jam tandem filum rumpimus, nosque hoc de themate rectè statuentium *judicio reverenter submittimus.*

SOLI DEO GLORIA.





Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and is difficult to decipher due to its low contrast and the texture of the paper.





05 A 1876

ULB Halle

3

003 788 083




VD17











003.

...ticum,  
...I NON  
...DENDI,

...is  
Individuæ

TIS  
...genſi Academia,  
E

...RLINGIO  
...altatis Philoſo  
cto,

te  
Ulmenſi Svevo,

e examini  
PHORVM.

\*\*\*\*\*  
RGÆ,  
ck, Anno 1625.

B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches  
Centimetres

